

profecta sunt, nec etiam ex generali illo instituto, quo filiis *sobrietas, modestia & humilitas* à parentibus commendatur, sed ex spiritu Prophetico, quo suo tempore futuram Palæstinæ vastationem universalem præsignare voluit vir pius ac sanctus *Jonadabu*. In (2) parte restantur *Rehoabitæ* de suâ obedientia erga interdictum avi sui magni, quoad singula ejus capita; commendantes nobis obedientiam tum erga parentes nostros in solo, tum erga Patrem in polo. In (3) parte indicant, qua occasione profecti *Hierosolymam*, sed de hac re in primo præcognito. Docent verò *Rechabitæ* suo exemplo, mortis periculum fugiendum esse juxta exhortationem ipsius Salvatoris *Matth. 24. Qui in Judea est, fugiat in montes; Qui verò amat periculum, perit in illo, Sir. 3.*

*Vindicatio textus ab abusu Monachorum.*

Cæterum abuti consueverunt hæc narratione de *Rechabitæ Monachi* ad stabiliendam *Vitam Monasticam*, quemadmodum etiam *Bellarin.* ex hoc capite *Jerem.* causam eorum agere conatus l. 2. de *Mon. c. 5.* hunc in modum scribens: Habemus etiam *Jerem. 35.* insignem commendationem nepotum *Rechab*, qui, cum eis Pater sive avus præcepisset, ut domos non ædificarent, agros non seminarent, vineas non plantarent, vinum nunquam biberent, vitam durissimam quasi extra mundum agerent, omnia diligentissimè observarunt, quos etiam *Monachorum* nostrorum figuram gessisse scribit *Hieron.* in eadem ad *Paulin.* Epistola. Apponit eandem *Cramben* in *Exod. libr. c. 21.* *Obedientiam Rechabitarum* interpretari audens *obedientiam religiosam*, quæ rectè voveatur DEO.

Σύγκρισις  
Monachorum  
cum  
Rechab.

Sed sophisticantur *Monachi* paralogismo *parium*; quod, ut evidentiùs appareat, instituere placet ἀντιπαραβολὴν *Rechabitarum & Monachorum.* (1) *Rechabitarum* factum est obedientia erga parentes in verbo DEI expressè proposita; *Ordines* verò *Monachorum* nihil aliud sunt quàm ἐξελοθησικαία superstitiosa expresso verbo DEI destituta. (2) *Rechabitæ* suum illud vitæ genus amplexi sunt jussu Patris *Jonadabi*; *Monachi* verò sæpè *Monasticum* vitæ genus sectantur contra parentum voluntatem. (3) *Rechabitæ* institutum illud suum absq̄ve ulla opinione meriti & cultus observarunt: *Monachi* verò observatione regularum sui Ordinis meritum vitæ æternæ assequi